



A D L E C T O R E M
P R Æ F A T I O
M O N I T O R I A

TERVM tibi damus, Lector beneuole, in integram Summæ Theologicæ DOCTORIS COMMVNIS ET ANGELICI B. THOMÆ AQVINATIS, Partem primam, Commentarium curis secundis iam limatum & auctum, ipsius & methodo, & Quæstionum, Articulorumque (vt solemus) serie, seruatis, Tria autem sunt de quibus præmonitum te volui.

Vnum, quare Tomus hic, qui cæteros ordine primus est, ac esse debet, tertio demum loco prodierit in publicum.

Secundum, quid mouere nos poruerit, vt quæ ad quæstionem 105. de modo operationis Dei cum causis secundis, deque eius efficacia disseruimus, in hoc Commentario desiderentur. Id ne aliquâ animi leuitate, vel sententiæ aut opinionis mutatione factum arbitrere: sed magnâ prorsus ratione, eaque tali quam ab omnibus rectè iudicantibus approbatum iri non dubitem, fecimus; vt nimirum Sanctissimi Domini, Pontificis Maximi mandato morem gereremus. Eius namque decreto pridem sancitum est, ne scripta materiam de gratiæ diuinæ auxilijs pertractantia, prælo mandentur, nisi prius in Urbem missa, ibidemque sint legitimè probata: In nostro autem ad primam Summæ Theologicæ partem Commentario non pauca erant, quæ prædictam materiam spectare videti possent. Ne quis portò decretum istud perperam interpretetur, putetque specialiter editum contra sententiam illam quam nos ex varijs B. THOMÆ libris & locis pridem tuemur, non verò contra oppositam vel oppositas, visum est ipsius prout nobis communicatum fuit, copiam hic subnectere. Ita facultati nostræ Theologicæ scripsit anno 1612. Legatus Apostolicus.

Dilecti nobis in Christo Eximij Viri.

Controuersam per annos aliquot quæstionem, quam Romæ vocabant de auxilijs, super gratiâ nimirum præueniente & concomitante, operibus, liberoq; arbitrio, DD. VV. non ignotam scio; quandoquidem & in illâ Vniuersitate super ea quæstione disputatum fuit. Mandauit Sanctissimus Dominus noster anno 1607. eas terminari disputationes; quæ Romæ coram Sanctitate sua habebantur, simulque sua Sanctitas præcepit, ne quis in posterum oblata de prædictis rebus tractandi occasione, contra-